

QUAEDAM
DE
PLACENTA IN UTERO RETENTA.



**DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO - OBSTETRICIA**

QUAM
**CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI**

UT GRADUM
**DOCTORIS MEDICINAE
RITE ADIPISCATUR
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET**

AUCTOR
Henricus Arminius Schnee,
MEDICUS OBSTETRICIUS FORI MEDICI ARCHANGELOPOLITANI
CURONUS.

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu
56667

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCXLVII.


IMPRIMATUR

haec dissertatio ea conditione uisimilac typis literit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXV. mens. Nov. 1847.

Dr. **Bidder**,
ord. med. h. t. Decanus.

(L. S.)



459297

X220C

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

PRAECEPTORI MAXIME VENERANDO

PIERSUS WALTER

PROFESSORI LITER. UNIVESSITATIS DOPATENSIS P. O.

ORDINIS SANCTI VLADIMIRI EQUITI

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERET

GRATISSIMUS AUCTOR.

P r a e f a t i o .

Quamvis in magna librorum, qui in re proposita versantur, multitudine alienum fortasse videatur, numerum eorum novo auxisse, nihilosecius tamen et nos huic partus turbationi, quae ab antiquissimis inde temporibus medicorum in se convertit animos, hanc dissertationem nostram dare, in animum induximus. Id ut faceremus, ea maxime re adducti fuimus, quod per tempus, quamquam breve, quo medicinam exercuimus, saepius observandi occasiones oblatae sunt, ex quibus, quantum momenti haec turbatio in puerperio haberet et ab eadem recte cognoscenda et tractanda vitam ac salutem puerarum pendere, facile intelligeremus.

In hoc opusculo originum praecipue, unde placentae retentio nasceretur, rationem habendam duximus et quantum hic pertineret, eos quoque placentae processus morbosos, qui jam durante gravitate normali decursus quintae partus periodi turbando ansam praeberent, in nostra considerationis orbem trahendos, judicavimus.

Nam his remotioribus rei, de qua agitur, causis exquirendis tum singulorum casuum diagnostin, tum, quae maxime curandi ratio adhibenda sit, verius constitui posse, nobis persuasum est.

Quo successu autem, hujusmodi libelli limites non egressi, in adjumentorum, quae in promptu erant, paucitate et temporis angustiis rem, de qua quaeritur, exposuerimus, benevolentium lectorum judicio relictum volumus.



DEFINITIO.

Placentae retentio eas normalis partus turbationes complectitura, a quibus placentae in cavo uterino ultra solitum remora descendit.

Tempus normale, per quod placenta remanet, diversum est, ab actione visceris proliferi post infantem expulsum dependens; plerumque dimidia vel tota hora post partum. Attamen placentam serius quoque sine ullo detimento ejici viderunt, quae res in auxilio, quo lato opus esset, dijudicando, gravissimis erroribus causam praebuit.

In universum secundum plerorumque obstetricantium sententiam ea constitui potest regula, ut, quando, duabus horis elapsis, secundinae nondum excesserint, cum statu quodam rem esse judicemus, qui et ad dirissima eaque statim intrantia phaenomina et tempore posteriore, si retentio longius duraverit, ad sequelas funestissimas praedispone queat.

Quamvis haec definitio sensu pratico satis sufficere videatur, tamen ex disquisitione subsequenti, non tantum rationes causales, sed etiam phaenomena comitantia hoc temporis spatium vel minuere vel producere posse, ideoque terminum medelae instituendae his maxime conditionibus determinari, facile intelligemus.

De phaenomenis placentaे retentionis in universum.

Etiamsi ea phaenomena pro causarum, quibus retentio progeneratur, diversitate admodum variare, consentaneum sit, ob eamque rem in causis explanandis diligentius delineanda fuerint, attamen series eorum, quae magis minusve cuivis retentioni communia appearant, in conspectum venit.

Quae phaenomena, quo facilius intueri liceat, 1) in talia, quae, primaria dicta, paulo post infantis partum exsistant et 2) in ea, quae, secundariorum nomine appellata, serius post longioris temporis retentionem proveniant, dividi possunt.

A. Phaenomena primaria.

Referenda huc 1) solito major uteri extensio, quo in casu fundus uteri in regione umbilicali, interdum etiam altius ponitur, 2) inaequalis ejus forma et insoles, ubi, regulari figura ovali amissa, singulae partes prominent, simul major mollities aut durities in eo reperitur, 3) situs uteri alienus; possunt enim prolapsus, inversio, situs obliqui intrare. Haec phaenomena, si tractiones funiculi umbilicalis violentes praepostero auxilio factae sunt, incidere solent, qua re saepenumero fit, ut funiculus abrumpatur. 4) Sanguinis profluvia frequentissime apparent, tum interna, tum externa; quo priore in casu secundae vel ex parte vel omnino solutae uteri orificium claudunt. Metrorrhagiae, praesertim placenta ex parte tantum soluta, vehementissimae, atque mox anaemiae signa nascuntur. Animi deliquio, accidente, sanguinis profluxus mitigantur, paulo post tamen, illo remittente, pari vehementia resurgunt, 5) convulsiones, partim sanguinis jacturas subsecutae, partim irritatione,

quam placenta retardata exhibet, provocatae cernuntur. 6) uteri stricturae, quae in diversis ejus partibus sedem suam habent, vel extemplo post partum vel serius etiam occurunt. Creberrime in uteri orificio observantur et in ope ferenda magnum praebent obstaculum. 7) dolores ad secundas projiciendas cruciantes saepius statim efficiuntur, alias serius. 8) Animi perturbationes memoranda sunt, quibus foeminae, retentione placentaе laborantes, saepissime summa anxietudine et inquietudine vexantur; 9) celeris placentaе dissolutio, saepe quidem decem vel quatuordecim horis transactis, crebro tamen serius etiam procedit. Ea in re odor graveolens ex genitalibus spirat, cum effusione iuquoris saniosi, qui paulo post indolem corrodentem induit, conjunctus.

B. Phaenomena secundaria.

Quae plerisque in casibus primis jam retentionis diebus prodeuntia summa provocant discrimina atque pericula. Sequela frequentissima uteri inflammatio est, quae mox ad characterem septicum et nervosum inclinat. Deinde gravissimae affectiones universales evolvuntur, in motionibus febrilibus cum rigoribus constantes et ex sanguinis infectione sepsique generali exortae.

Pauci vero casus, in quibus placenta diutiis retenta non dissolvebatur et similia phaenomena generalia provocabat, in artis obstetriciae annalibus rariores sunt, quam quibus, ut secundarum retentiones ipsis naturae viribus committamus, adducamus.

De causis placentae retentae.

Ex hac re indaganda, jam graviditatis tempore placentae morbos exsistere posse, manifestum est, qui, cum retentionem placentae sequentem efficere queant, digni sunt, quorum nunc ratio habeatur. Ejus generis processus retentionis placentae causas remotiores dicere licet, quae ipsae in hac re dijudicanda maximi putandae sunt momenti.

Huc inflammatio et hypertrophia et ossificationes pertinent, ex quibus tamen sola inflammatio, cum ejus tantum diagnosis graviditatis tempore certius institui queat, nostram expostulat attentionem. Itaque ejus inquisitionem, quatenus ad retentionem pertinet, hoc loco nobis liceat proponere.

Placentae inflammatio, — Placentitis — illustrationem suam recentissimae maxime aetati acceptam refert, et quamquam perscrutationibus de eadem institutis finis nondum factus est, tamen ex investigationibus virorum clarissimum Brachêt, d'Outrepont, Dance, Stratford et prae caeteris Simpson (v. Journal für Geburtsh. Bd. XVII. S. 113.), multum lucis effulsit.

Placentitis, quae modo acuta, modo, idque plerumque, chronica forma existit, vel in placentae parenchymate, vel in membrana superficiem ejus foetalem obtegente, vel in facie uterina, vel in nonnullis harum partium, vel in omnibus simul sedem suam positam habet. Si parenchyma vel superficiem placentae uterinam corripit, uno tantum hujus organi lobo coercetur, alias duos vel complures disjunctos et inter se distantes lobos, crebrius tamen complures inter se juxta positos lobos uno eodemque tempore vel alium post alium afficit, ita ut hoc modo vel triens vel

dimidia pars vel tota etiam placenta inflammationis particeps fiat. Neque raro tamen irritatio inflammatoria a vicina uteri substantia in placentam se propagare videtur, quoniam ab initio jam symptomata metritidi propria adsunt. Aliis vero in casibus inflammatio in ipsius placentae parenchymate vel in ejus membranis exorta, iisdem stricte coercita, in finitimas uteri partes non transgreditur. Denique non desunt exempla, in quibus inflammatio quidem pariter ab placenta originem habeat, postea tamen inde per uterus latius porrigitur. Hanc inflammationem principio in placentae textura initium habere, inde satis demonstratur, quod nonnunquam non nisi in uno lobo, vel pluribus circumscriptis, inter se separatis et sejunctis placentae locis conspicitur — quod deinde in multiplicibus partibus saepenumero una tantum placenta tentatur, — quod denique non raro parte hujus organi foetalis stricte limitatur.

Characteres placentitidis anatomici.

Signa pro acuti vel chronicis decursus ac sedis inflammationis ratione admodum variant.

Auctore Simpson tria maxime distinguenda sunt stadia.

1) Stadium primum. Congestio inflammatoria. In ea ob nimiam sanguinis in vasis accumulationem placenta amplior, colorisque tinctioris appetet; in tangendo majoris est densitatis ac spissitudinis.

2) Stadium secundum. In hoc coagulabilis lymphae exsudatio, eaque vel in parenchymate, vel in facie uterina vel foetalis animadvertisit. Nobis lymphae coagulabilis exsudatio in facie uterina gravissima est, qua quidem adhaesiones inter placentam et uterus producuntur. Quarum extensio, sedes, firmitas, et densitas singulis in casibus admodum diversae sunt. Nonnunquam enim tota placenta

cum utero connexa cernebatur, frequentius tamen ejusmodi cohaerentiae cum uno tantum vel pluribus juxta inter se positis lobulis observantur; nunc lobi in placentae centro, nunc in ejus organi circumferentia adhaerent. Gradus concretionum, nec non connexus, ea re inter placentam uterumque effecti, intensitas, pro inflammationis exsudationem provocantis et temporis post exsudationem secutam elapsi ratione mutantur. In decursu acuto et recenti ortu adhaesio mollis, in chronicō vero, si ipsa longius duraverit, perquam arcta saepiusque tanta est, ut ne artificiali quidem solutione perfecte dirimi queat. Crassities pseudomembranarum interdum permagna est; quae, teste Wrisberg, (v. commentat. med. obstet. p. 45.) aliquando lineas duas et dimidiā crassae inventae sunt. Nonnullis in casibus anterioria exsudata in substantiam tendinosam, filamentosam vel cartilaginosam transmutatur.

3) Stadium tertium in purulentis massis formandis consistit, quae variis locis diversisque sub formis parantur. Rokitansky (v. 2ten Band der pathologischen Anatomie. S. 615.) tum abscessus lobulares, tum infiltrationes diffusas et placentae phthises oriri posse commemorat.

Placentitidis *causae* modo occasioales sunt; ut ictus ventri applicati, lapsus, concussions vehementes, motus repentina et graviores, terrores et alia animi pathemata. Ictus, placenta antrorum jacente, maximum afferunt damnum. Tussis impetuosa commotione ad placentitidem provocandam valere videtur. Ea mihi quidem in foemina quadam, sexto primae graviditatis mense morbillis, qui cum tussi vehementiori catarrhali conjuncti erant, correpta, observare contigit. Tum dolor fixus in parte abdominis dextra ingruit et in partu placentae magnopere cum utero concreta esse cerne-

batur. Maturo auxilio neglecto ea foemina metritidi succubuit. Deinde causae etiam praedisponentes sunt; morbos dico visceris proliferi praegressos: quin etiam nonnullae foeminae proclivitatem quandam ad eam affectionem ostendunt. A muliere quadam placentae retentione, cui metrorrhagia vehemens, adhaesio et incarceratio comites se addiderant, laborante, cuius tractandae mihi occasio fuit, ex anamnesi, eam in omnibus quinque partibus, ad id tempus peractis, eadem turbatione affectam fuisse, comprei. Placentitidis perseveratio diversa est, inter paucos dies et aliquot hebdomades varians.

Signa gradus, extensionis, sedis atque *complicationis* respectu differunt. Si, inflammationem plerumque chronicā, solaque placenta coērētam esse, idque organū tantopere ex se aptum neque ullum immediatum vasorum foetalium in uterina transitum extare (v. Zusätze zur Lehre vom Baue und den Verrichtungen der Geschlechtsorgane. E. H. Weber. Leipzig 1846.), perpendamus, multo luculentius, quam exspectaveris, ea apparere valde mirum fuerit. Symptoma constantissimum enim *dolor* est, praesertim in regione abdominali vel lumbali perceptus, cuius, tamen intensitas, perseveratio et indoles non semper eadem sunt. Quod symptoma nunquam fere deest, et plerumque aliquot horis vel maximum duobus vel tribus post causae efficientis influxum diebus praeteritis, intrare solet. Dolor nunc in forma acuta vehemens est et usque in crura propagatur, nunc in forma chronicā tantum obtusus, modo continuus, modo remittens. Just. Heinr. Wigand (über die Ursachen und Behandlung der Nachgeburtzögerungen. Hamburg 1803. S. 108—114), iam satis exacte hunc describit dolorem, ejus origine tamen nondum cognita.

Aliud symptoma frequentissimum *vomitus* est, cuius interdum summa deprehenditur vehementia. Tum *motus febri*les nominandi sunt, qui, uti saepius eodem cum doloribus tempore existunt, ita interdum rursus in posteriori demum morbi decursu accedunt. Cruveilhier in inflammatione suppurativa speciem quandam febris hecticae cum vespertinis exacerbationibus conjunctam conspexit. Wilde (de cognoscendis et curandis placentae morbis. Lib. IV. Berolini 1832.) pro solito placentitidis symptomate leviorem febrim magnumque aestum habet et in inflammationis ad suppurationem transitu aegrotantes horripilationibus et doloribus obtusis ac pressantibus in regione uterina meando et stando perceptis affici arbitratur. — Idem lotium nisi guttatum emitti non posse et, si morbus induratione finiatur, dolores obtusos, in utero perceptos, nonnunquam cum satis largo ex vagina effluxu albescente, corrodente sese conjugere, animadvertisse sibi videtur. *Dance* aortae pulsationes in casu quodam nimias repperit.

Placentitidis in mulieri effectus, praesertim cum placentae parenchyma processu inflammatorio corripitur, abortus est ejusque sequelae in puerperio occurrentes, ex placentae cum utero concretione enatae. Ex censibus annuis a *Ramsbotham* publici juris factis. (London Med. Gaz. Vol. 3, 5, 7, 9.) ex numero 689 puerarum unam semper hoc placentitidis exitu pessumdatam esse cognoscimus. Foetus vero placentae inflammatione ejusque exitibus saepissime primae formationis vitia perpetitur.

Placentitidis in cura, quae omnino regulas universales sequitur, rarissime tantum, idque solummodo in casibus acutioribus vel quando complicationes cum metritide adsunt,

sanguinis emissiones universales indicantur. Alioquin in casibus chronicis topicae sanguinis detractiones et derivantia sufficiunt.

De proximis, quibus placentae retentio efficitur, causis.

Quae admodum diversi sunt generis, atque vel in dynamicis conditionibus, quae ad placentam expellendam necessariae sunt, turbatis consistunt, eoque in casu ab utero dependent vel rursus organicae apparent atque statibus placentae abnormibus gignuntur.

Ad dynamicas secundinarum retentarum turbationes uteri adynamia et dysdynamia adnumeranda sunt.

1. Adynamia uteri.

Phanomena hic admodum discrepant, sive placentae solutio jam in prioribus partus periodis consecuta erat, sive ea ex parte vel tota utero adhuc adhaeret. In utroque casu uterus non ad normam solitam imminuitur sed non raro supra umbilicum prominens, molliusculum vel relaxatum tactui sese offert. Aegrota in tangendo nihil doloris sentit. Simul propter contractiones uteri vel omnino deficientes vel imperfectas statim post infantem emissum sanguinis profluvia plerumque intrant, quae, cum mox modum excedant, anaemiae phaenomena procreant: adest summa virium prostratio, pulsus debiles, extremitatum frigora, sudores frigidi faciem pallidam atque artus obtegentes, aestus internus adactus angores, cordis palpitationes, respiratio difficilis cum gemitu, aurium susurrus, visus caligines, lipothymiae et similia. Placenta si soluta est, uterique contractiones nullae sunt, interdum uteri orificium ovi velamentis

ac placenta concluditur; sanguinis profusio in uteri cavitatem, quae sanguine excreto admodum dilatari potest, emittitur. Placenta obvia majoris est elasticitatis et ovi velamenta objacentia fluctuando vesicam foetalem aemulantur. Sin vero ovi velamenta objacent, pressione digito explorante effecta sanguis vel liquidus vel coagulatus effunditur. Contra, si placenta in uteri ore sedet, aut solum funiculum umbilicalem aut exiguum placentae partem reperimus et sanguinis profluvia hoc in casu pariter plerumque apparentia facile extrorsum exitum sibi inveniunt. Sanguinis effluxus in uteri adynamia perraro desunt, quippe quorum origo contractionibus deficientibus paretur. Itaque passivi sunt generis, saepiusque in summa puereras praecipitant pericula. Creberrime statim post infantis expulsionem vel paucis post eandem horis exactis intrant. In exploratione interna vagina plerumque sanguine vel liquido vel coagulato repleta invenitur. Vagina ipsa dolore caret, uteri orificium apertum, laxum, doloris expers est atque contractiones in eodem nullae sentiuntur, id, quod multo crebrius accidit, vel admodum sunt exiguae, ita ut manui progredienti nullum offeratur obstaculum. Placenta si obvia est, facile reprimi vel removeri potest. Manum si in utero manere sinas, vel manipulationibus mitioribus in utero contractiones efficere studeas, eae quidem tardissime consequuntur, vel singulis in casibus, ut visceris proliferi contractionem gignamus, ne hac quidem actione contingit.

Adynamiae causae vel ab ipsius uteri vel ab totius organismi debilitate dependent. Eadem non modo in mulieribus, quae saepius jam partum ediderint, verum etiam, quarum vires praegressa in pariendo actione consumtae sint, aut in quibus uterus nimis aquis, vel graviditate multiplici

admodum extensus cernatur, deprehendimus. Pathemata animum graviditatis tempore deprimentia, ciborum ac potionum excitantium abusus ansam praebent. Deinde adynamia sitibus uteri abnormalibus, sitibus obliquis, prolapsu, tum ventre propendente (v. Metz über das Nachgeburtsgeschäft in der neuen Zeitschrift für Geburtshütung. Bd. IX. S. 353.) provocatur, eandemque in nimia vesicae urinariae repletione Dr. Ricker (v. Abbildungen aus dem Gesamtgebiete der theor. und pract. Geburtshülfe, von Ed. Casp. v. Siebold. S. 238.) observavit. Adynamiam ex sanguinis profluviiis praegressis enasci, atque, illa si adsunt, sustentari, memoratu vix dignum est.

2. *Dysdynamia uteri.*

Retentiones placentae alienata uteri actione progenitae multis ac variis nominibus fuerunt appellatae. *Peu* eum statum arrière - boutique dixit. Ab aliis vocatus est: incarceratio placentae, placenta inclusa, insaccata, placenta enkysté, chatonné, hernié de l'allière - faix - hourglass - contraction. Einsperrung, Einklemmung, Einsackung der Nachgeburt.

Contractiones spasmodicae, quae nunc magis clonicae nunc magis tonicae apparent, vel toto utero, quo in casu tetanus uteri vocantur, sedent, vel, stricturae uteri designatae, in corpore uteri locum habent, vel solo uteri orificio continentur, qui trismus uteri est, vel denique nisi ad uteri fundum non pertinent: — Spasmus fundi uteri. — Hisce in casibus vel in loco in cavitate contracto placenta omnino separata esse potest, quae incarceratio completa seu insacratio dicitur, vel in coartato uteri loco inest, quam incarcerationem incompletam appellant.

Quanquam pro eorum casuum diversitate phaenomena quoque varie apparuerunt, tamen haec quidem magis minusve in categoriam universalem redigi queunt.

Uterus, in abdomine pro portione altum situm obtinens, ea in re inaequaliter contractus est, ita ut regularis ejus forma, uno vel altero latere vel facie anteriore majorem extensionem pree se ferente, mutationes recipiat. Abdominis contractio dolores suscitat, qua in re in investigando saepenumero, eodem vel imminuto, vel rursus dilatato, satis conspicuae uteri contractiones sentiuntur. Quae contractiones tamen quum raro per totum uterum extendantur, plerumque altera ejus pars dilatata, altera non commutata reperitur. In exploratione interna, qua saepius dolores commoventur, uteri orificium crebo altissime, vel inferius situm est. Declinationes a media pelvis linea ea in re frequentissimae; uteri os pro diversa sedis ratione vel angustatum vel insignem in modum dilatatum, at omni fere in casu valde sensibile. In funiculo umbilicali attrahendo facile, ut sanguinis profluvia intrent, accidere potest. Quae hic solito non desunt et pro ore uteri clauso vel non clauso nunc interna nunc externa cernuntur. Plerumque sanguinis fluxus exiguis in quaque contractione tantum, in qua etiam plus doloris cietur, adaugeri solet. In tonicis totius uteri spasmis, ut sanguinis profluvium deficiat, interdum fit, quo inam placenta, ad facies uteri sanguinem effundentes pressa, lumina vasorum mechanice obserat.

Exceptis his objectivis topicisque phaenomenis subjectiva quoque et generalia apparent, quorum hoc loco mentio non erit praetermittenda. Spectant huc dolores post partum maxime dolorifici, qui, summum fastigium saepius consecuti, aegrotantem vehementer cruciant. Dolores secantes,

constringentes molestissimi, vel, in utero sede collocata, continuo remittentes aut intermittentes sunt vel interdum in organa vicina, vesicam, intestinum rectum, vaginam protenduntur. Pro mulieris sensibilitate majore vel minore dolores diversos se exhibituros esse, facile est ad intelligendum. Spasmus si magis tonicus est, dolor exaggeratus in omnibus novis loci jam coaretati contractionibus increscit. Uteri ore contracto, si trismus uteri adest, dolor quoque vivacior, necesse est, percipiatur. Hunc dolorem localem comitans universalis corporis tremor, magna anxietas et inquietudo intrat, ita ut parturiens, cum quieta amplius cubare nequeat, ob dolorificas contractiones in lectulo jactetur, assurgere studeat eaque in re de vehementi et prementi in praecordiis doloris sensu summoque angore conqueratur. Simul crebro molesti mejendi et alvi dejiciendae nisus, quibus tamen non magis urina quam faeces excernuntur, intrare solent. Sensuum obnebulationes frequenter apparent; aurium susurrus atque tinnitus, visus obfuscatio non desunt, pulsus parvi, frequentes, intermittentes, praesertim in spasti exacerbatione, in qua quidem saepius vix vel omnino non sentiuntur. Sudores gelidi corpus obtiegunt vel cutis sicca et arida reperitur, lingua modo humida est, modo arescit. Neque raro vomiturations et ipsi vomitus existunt, qui posteriores nonnunquam perdurando discrimina augent. Spasmodici tussis impetus non raro deprehenduntur, respiratio saepius difficilis et impedita, quam ob causam facies permutata modo pallet, modo rubescit. Saepe sudores frigidi per eam diffunduntur, oculi fere clausi in orbitam retrahi solent. Praeterea crebra pandiculatio occurrit, cum propinquitate ad animi deliquia, qui status saepius in veras lipothymias transit et identidem recurrit. Ex phaenomenis funestis-

simis universales convulsiones sunt, quae, crebro sanguinis jacturam sequentes, nonnullis in casibus tamen ab illa dependere non videntur. Istis paroxysmis iterum iterumque repetitis vim vitalem diutius resistere non posse, experientia satis confirmavit. Spasmi universales possunt etiam deesse et spasmodica uteri affectione cessante spasmi muscularum abdominis, cordis vel pectoris prodeunt. Quod phaenomenon nomine dolorum transpositionis (Wehenversetzung) denotatur; quo in casu vita maxime periclitatur. Incarcerationis perseveratio, ab spasmi vehementia pendens, varia est. Saepe nonnisi aliquot clonicae contractiones adsunt, quae postquam evanuerunt, secundinae regulari uteri contractione ejiciuntur, expellendi actione rursus restituta. Plerisque tamen in casibus impetus per longius tempus, interdum per plures horas, quin adeo dies continuatur. Quod posterius si fit, alia plerumque placenta vitia exstant.

Singulorum symptomatum modificationes spasmorum diversitate efficiuntur. Quod si spasmodicae **affectiones magis** clonicae sunt, uterus alternatim modo minor et densior, modo major et mollior evadit, simulque in tangendo dolores ciet. Placenta, frequentium contractionum ratione non habita, pristinum servat situm, quia contractiones expellendi vi carent. Funiculus umbilicalis propendens in quaque spasmorum exacerbatione brevior fit, uterique orificium, admodum sensible, manifestas oscillationes offerens, circum funiculum umbilicalem vel placentae partem contrahitur. Extemplo post adauctam contractionem sanguis ex vagina manat, quoniam ille in uteri cavitate accumulatus propellitur.

In spasmis tonicis contra uterus formam semel indutam, quae plerumque a norma abhorret, aliquamdiu tuetur, quia **contractio continua** appetet. Uteri ambitus singulis in casi-

bus minor, quam in spasmis clonicis; cum autem tonici spasmis sedes in corpore vel interno uteri ore inest, uterum, quanquam laterali extensione imminuta, prolongatum conspicimus. Uteri orificium, id quod a contractionis tonicae sede pendet, nunc altius situm est; omni tamen in casu assidue tensum et sensibile reperitur. Neque magis placenta situm transmutat.

Porro contractionis sede modificationes nituntur. Si enim spasmus in uteri ore (trismus uteri), sedet, orificium arctissime circa funiculum umbilicalem vel placentae partem contractum est, ita ut digitus explorator intrare nequeat. Qui si progredi conatur, semper dolores exaggerati spasmusque adauctus animadvertuntur; os uteri in ea re plerumque alte situm digito tangi non potest, vagina eo prolongata. Sin autem spasmus magis in corporis parte, id est strictura uteri inest, vel in externa exploratione saepius constrictio satis manifesto sentitur, ita ut, utero diviso, quasi duo corpora enascantur. In exploratione interna vero uteri os plerumque hiat, neque, nisi totam manum introduceris, ad locum constrictum pervenire licet. Tum aperturam callosam, perquam sensibilem sentimus, in qua vel solus tunicus umbilicalis invenitur, ita ut placenta in proprio uteri cavo sedem obtineat. — **Incarceratio completa** —, vel ejus pars in loco constricto inest. — **Incarceratio incompleta**. — In strictura fundus uteri altissime usque ad regionem praecordialem situs; neque non uteri orificium alte positum esse solet.

In spasmodica affectione fundi, uteri figura maxime insigni modo commutatur. Saepius uteri bicornis formam aemulatur, ita ut excavatio in medio reperiatur. Aliis in casibus altera uteri pars magis contracta cernitur, quare

uteri obliquum situm nanciscimur; rarius uterus spasmatica unius partis faciei anterioris actione super symphysis os-sium pubis procidit. — Pronatio uteri —; omnium rarissime est reclinatio. In quibus quidem casibus fundus uteri sem-per inferiorem, quam in antecedentibus, sedem occupat.

Causae, quibus uteri quinta partus periodo dysdynamia provocetur, partim iu aegrotantis constitutione obtinentur; quam ob rem incarcerationem in mulieribus teneris, sensibilius atque hystericis, in primiparis constitutione gracili praeditis, vel in foeminis robustis, habitu virili, reperimus. In prioribus clonicae magis, in posterioribus tonicae affectiones spasmoticae oriuntur. Causae occasionales admodum diversae, animi pathemata deprimentia, metus, anxietudines, terrores, vel statim post infantes in lucem editos, vel priore jam tempore percepta; deinde affectiones uteri rheumaticae, organisationis vitia, indurations, scirrhositates, vel denique abnormes uteri cum placenta connexus aeque accusanda sunt.

Organicae retentionis placentae causae.

Quae maxime ad nimis arctam placentae cum utero conjunctionem atque ad abnormem placentae magnitudinem vel mollitatem pertinent.

1. Nimius placentae cum utero connexus diversis rebus effici potest, unde duas maxime species statuere licet.

a) Nimis arcta placentae adhaesio, physiologico connexu perdurante, producitur. Quod genus conjunctionis luculentissime in placentae retentione praegressis abortibus demonstratur. Quae retentionis genera diutissime sine ullo insigni valetudinis damno extare possunt. Sic *Primus* (vgl. gemeinsch. deutsche Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. II. Heft 1. p. 129—132) in quarto decimo mulieris undequa-

draginta annos natae partu secundinartum retardationem ob-servavit, quae foemina, quum quarto graviditatis mense foetum mortuum putridumque peperisset, quatuor demum mensibus elapsis, placentam, cui adhuc reliquiae funiculi umbilicalis adhaeserunt, ejecit. *De la Vigne* (v. neue Zeit-schrift f. Gbrtskd. Bd. II. Heft 1. p. 126) ad mulierem quandam excessitus est, quae cum undecim diebus ante sexto graviditatis mense abortum edidisset, sanguinis pro-fluvio laborabat, quod demum, remotis secundinis, sedatum est. Part modo et ipse secundinas post abortum quarto graviditatis mense typhoso febri effectum relictas observavi, quae denique duodecim diebus transactis, doloribus non ita magnis comitantibus, nullis sanguinis effluxibus praegressis expellebantur. Neque tamen desunt observationes, ex qui-bus relictas secundinas hisce in casibus multum periculi afferre posse, satis clare appareat. Prae ceteris sanguinis effluvia vel placentae putrescentia damna importare possunt.

Deinde, physiologico connexu continuato, iis in casibus potissimum adhaesiones reperimus, in quibus vel partus artis ope peractus, vel ob parvam infantis evolutionem nisus in pariendo non ita intensi fuerint; ideoque si gemelli matris gremio emittuntur. Casum quendam retentionis placentae, quem in quadrigeminorum partu observavi, hoc loco de-scriptum proponere liceat. Militis ejusdam uxoris, 36 annos nata, octavam graviditatem sine ulla turbatione, nimia ab-dominis circumferentia excepta, usque ad exeuntem octavum mensem jam peregerat, cum, doloribus ad partum intrantibus, primum puerulum peperit, quatuor deinde diebus praeter-lapsis puellula iterumque puerulus, nulla artis ope adhibita, gremio materno excesserunt, quo facto, cum sanguinis amissio secuta esset, equidem puerperae auxilio vocatus sum.

Inventis adhuc in cavitate uterina partibus infantilibus, ob completum dolorum ad partum defectum et sanguinis profusionem vehementem, versionem et quartae ejusque vivae puellulae extractionem institui, atque, quoniam sanguinis profluvia non cessarunt, secundinas removendas in me suscepit. Due inventae sunt placentae, quae ambae magno ambitu insignes utero adhaerebant. In utraque placenta insertiones funiculi umbilicalis marginales erant, ceteroquin eaedem a norma nihil recedebant.

b. Nimia adhaesio productis pathologicis provocatur. Quorum jam in placentide describenda mentionem injecimus, Ibi jam, ea pro inflammationis adhaesivae in facie placentae uterina exitu habenda esse, commemoratum est. Hoc loco id praeterea monendum videatur, pathologicos conexus, nullo inflammatorio processu, qui quidem probari queat, praegresso, excoli posse; cujus generis generationes sub forma cartilaginea, vel steatomatosa apparentes, nexum firmorem vel agglutinationem facientes, in conspectum veniunt. Rarioribus in casibus inter placentam uterumque ossificationes deprehenduntur, quae, uti naturalem solutionem impediunt, ita profusis sanguinis profluviis causam praebent (s. neue Zeitschrift f. Gbrtskd. Bd. III. S. 265—257). Plerumque haec phaenomena pathologica non extenduntur nisi in parvam placentae partem. Producta ea in individuis dyscrasicis, praesertim herpeticis, arthriticis, syphiliticis, iisque, quae aetate proiectae sint, intrare solent. (Busch Hdbuch der Geburtshilfe in alphab. Ordnung Bd. IV. S. 193.)

Nos jam in superioribus phaenomena, graviditate durante, nobis facem accendere posse, monuimus, quibus adjuti, nur concretio metuenda sit nec ne, intelligamus. Quae cum ita sint, graviditatis decursum diligentius perquisivisse,

maximi momenti erit. Concretionis phaenomena nonnunquam jam ipso in partu conspiciuntur, ut uteri contractiones magis minusve alienentur; dolores ad partum rariores evadunt parum efficaces; maximeque dolorifici sunt, quo fit, ut partus saepius admodum retardetur, vel peragi omnino nequeat. Infante egresso, dolores ad expellendas secundinas plerumque vehementissimi, attamen, quoniam placenta non extemplo solvit, minoris effectus sunt. Placentae coniunctione, si partialis est, ob placentae solutionem ex parte tantum factam, plerisque in casibus sanguinis profluvia oriuntur, quae modo vehementiora, modo minora, perraro tamen tota desunt. Contra, si concretio totalis est, sanguinis effusio ut deficiat, fieri potest. Sanguinis profluvia hoc etiam in casu, sive uteri orificium ovi velamentis vel placenta clausum, sive apertum est, modo interna, modo externa observantur.

In doloribus ad propellendas secundas eo in loco, ubi placenta adhaeret, plerumque sentationes dolorificae, traktoriae atque urentes ingruunt, quae istis cessantibus perseverant, iisque coeptis adaugentur; funiculo umbilicali trahendo hoc in loco increscunt, qua cum re sanguinis effusio aucta sese conjungit. Placenta arctius utero adhaerente funiculo fortius trahendo prolapsus, inversio et incarceratio cum omnibus, quae in sequelis sint, affectionibus enasci possunt. In caute trahendo uterus descendit et, omissa tractione, rursus assurgit. In exploratione externa uterus satis extensus deprehenditur, simul autem inaequaliter contractus; in gravioribus vero contractionibus minuitur. In exploratione interna, nisi forte constrictio adest, nihil, quod memoratu dignum videatur, animadvertis; saepius tantum, ut os uteri jam mature contrahatur, evenit, quare auxilium,

quod ab arte exspectes, vel difficile redditur vel omnino impeditur.

2. Ad *organicae placentae vitia*, quibus ejus retardatio debeatur, hypertrophia singulisque in casibus nimia ejus mollities referendas sunt.

Hypertrophiam, quoniam uteri dilatatio quinta partus periodo pro certo judicio haberi nequit, tantum exploratione interna dignoscere licet. Volumine autem placentae aucto, turbationes in secessu oriri posse, ex annalibus artis obstetriciae satis perspicuum est. Sic Metz (neue Zeitschr. für Geburtsh. Bd. IX. S. 388) in numero 77 casum, in quibus retentae erant secundae, quater enormem placentae magnitudinem vidi.

De anatomicis in hypertrophia mutationibus nihil certi inter obstetricantes constat. *Hüter* intumescentiam seu physconiam, in qua textura mutetur, et hypertrophiā, quae omni mutatione careat, inter se distinguendas esse censet. Placentae *mollities* seu *malacia* raro observatur; Busch, (Handb. d. Geburtsh. in alph. Ordn. Bd. IV. S. 192) eam terdecies invenit. Textura admodum emollita, magnitudo normalis erat; interdum tamen amplior reperta est. Malaciae gradus variat: nonnunquam textura pultacea, ita ut cognosci nequeat; color mutatus, modo lividus, modo subviridis, interdum placenta putrida et graveolens. *Causae obscurae* sunt. Diagnosis nisi interna investigatione institui non potest.

Ad causas retentionis praeterea abnormem placentae sedem adnumerant, quanquam, nisi aliae turbationes accesserint, sola sedes per se retardationem vix videatur efficere posse. D'Outrepont, ut exemplum afferam (v. Busch, Handb. d. Geburtsh. in alph. Ordn. Bd. IV. S. 196) in 11

casuum numero concretionis sede in anteriore uteri facie inventa, eum situm ad concretionem proclivem reddere, arbitratus est, mechanicis influxibus uterum facile laedi posse, credens.

Praeterea Kilian marginalem funiculi umbilicalis insertionem accusavit. Denique prolapsum et inversionem uteri pro mechanicis retentionis causis habuerunt, attamen in his solam adynamiam relativam momentum causale existimaverim.

Quanquam in causis enumerandis id egimus, ut phænomena, quae iis provocarentur, diligentius designaremus, tamen, ut eas causas sic separatas in ipsa natura semper occurrere judicemus, tantum abest, ut potius singulas causarum, quas attulimus, saepenumero uno eodemque tempore reperi, opus videatur monere. Qua ex re modificationes oriri liquet, quarum cum maxima esse queat varietas, tractantis sagacitati, ut has modificationes accuratius dignoscat et procuret, relicturn sit. In universum tantum organicas placentae mutationes frequenter cum dynamicis uteri turbationibus sociari, admoneamus, quemadmodum saepius incarcerationem, rarius adynamiam in placentae concretione invenimus.

De exitibus.

Quamvis ex superioribus, qui retentionis placentae exitus sint, satis pateat, tamen hoc loco non alienum videatur, ad eandem rem subtilius contemplandam animum revocasse.

Exitus in sanationem igitur interdum ipsius naturae viribus consequitur, dum secundinae longius per tempus

sine ullo detimento in utero retentae, tum expelluntur. At ii tamen casus inter rarissimos sunt, quos, ut in exceptionibus, in artis obstetriciae annalibus sigillatim memoratos videmus. Sic *Bracher* (neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. II. Hft. 1. p. 124) secundas, quas ipse semovere nequierat, paucorum dierum spatio, frustis excedere videntur. Altero in casu (ibid. p. 127) sine ulla sequelis placenta sex dies retenta est. C. *Siebold* (Lucina Bd. I. p. 129) casum, in quo secundae tredecim menses in utero relictæ tum sponte exirent, promulgavit. Quorum castum numero alii etiam facile addantur, si praesertim secundinas post abortus retentas adnumerare velis, verum ea in re placentae cum utero connexum physiologicum esse, indeque magnam eam discrepantiam oriri, num secundae, quales in normali partu inveniuntur, suo evolutionis cyclo absolutio post infantem expulsum infestam cum utero rationem inirent, nec ne, eo, quo par erat, modo non reputaverunt.

Deinde aliis processus mentio facieenda est, quo ipsa natura, ut a retentionis sequelis se tueatur, uti solet. Est ea resorptio placentæ. Cujus modi casus, recentiore tempore observati, in opere inscripto (Handb. d. Geburtsh. in alpb. Ordin. von Busch u. Moser Bd. IV. S. 226—229) allati leguntur. Nihilominus hic, quoque, priusquam resorptionis processus ad finem adduceretur, periculosissimi status inventi sunt. Omnino eorum casum vero numerus, si cum infaustis comparetur, tam exiguis est, ut placentæ resorptio in rarissimis exceptionibus ponenda sit.

Multo frequentius exitus eorum casum, qui ipsi matutae commissi sunt, lethalis fuit. Mors ipsa partim comitantum symptomatum vehementia infertur, partim sequelae, quibus longiore vel breviore temporis spatio vitae finis

imponatur, oriri solent. Inter haec symptomata metrorrhagiae maxime nominandæ erunt, quas, in omnibus retentionis formis inventas, cum uteri contractionem et vasorum sanguinem effundentium conclusionem impedian, funestissimas esse constat... Appellandi praeterea status spasmodici, qui modo sub generalium convulsionum forma (v. des convulsions chez les femmes par A. Velpeau, Bruxelles 1834) modo topicis spasmodicis organorum nobiliorum affectionibus occurunt. Inter sequelas phænomena, quae processu involutionis uteri turbato, et lochiorum functione suppressa producuntur, praecipue notanda sunt. Deinde, internis uteri parietibus irritatis, facile metritis nascitur, quae, cum inflammatio plerumque a venis exeat, metrophlebitidis cum omnibus ejus exitibus specie induita, quoniam causa peccans non removetur, omnem fere sanationis spem adimit. Ad postremum morbi processus, facile placentæ putrescentia procreati, sub putridarum febrium forma, cum omni statuum earum devastantium caterva, intrant. In hisce etiam profluvia sanguinis ex utero consecutiva apparent et postea demum, sanguinis dissolutione facta, ingruunt.

Quarum sequelarum fusior delineatio cum ab hujus dissertatiunculae fine aliena sit, hisce verbis sectioni huic terminum ponendum esse judico.

De Prognosi.

Quae, maxime tempore, quo medici auxilium imploratum est, deinde phænomenis comitantibus, denique causis, quibus retentio effecta est, determinatur.

Ad tempus quod attinet, si extemplo post partum peractum aegrotantibus opitulandum est, quoniam remedia respondentia tum majori efficacitate eligere licet, aliquando faustior prognosis erit. Quo dilutius autem retentio duraverit, eo difficilior tractatio tantoque infauastior eventus.

Ex signis comitantibus sanguinis amissiones praecipue in prognosi statuenda multum valent; quae si longius tempus continuatae admodumque excessivae fuerint, ut anaemiae phaenomena jam invaserint, prosperum eventum admodum ancipitem reddere solent. Tamen tali in casu strenua obstetricantis actione multum efficitur; unde, quanti momenti ejus proprietas sit, facile est ad intelligendum.

Causarum quoque ratione successus admodum variant. Optima auguria in casibus leviore adynamia progenitis eduntur; praesertim si ex mechanicis causis, inprimis ex uteri prolapsu, et enormi vesicae urinariae repletione adynamia profecta est. Quae si permagna fuerit, sanguinis jacturae intrantes multum periculi afferent. **Peiores concretionis** casus sunt, praesertim filamentosis, cartilaginosis vel adeo ossificatis partibus producti. Hujus placentae remotio sine majoribus vel minoribus uteri insultationibus perpetrari nequit, qua re in systemate sexuali facile signa inflammatoria proveniunt. Pessimi vero praesagiū uteri dysdynamiae sunt, inprimis formae magis tonicae, quibus corpus vel os uteri affecta fuerunt. Discrimina hic partim prohibito artis auxilio, partim spasmatica affectione longius propagata increscunt. Universales convulsiones si exortae sunt, vitam conservare difficillimum est, sin vero spasmus cor vel musculos respirationis corripuerit, atque dolorum transpositio, quae dicitur, nata erit, vires vitales saepe citissime extinctas videbis. Quamvis sanguinis profusiones modicae in aegrotis pletho-

ricis crebro, spasmus ut remittat, efficiant, tamen hic quoque ne plus crux amittatur, magnopere metuendum est.

Indicum ominosum vomitus etiam judicandus fuerit, praesertim vehementior. Is paucis in casibus tantum levamen affert, in primis si sordes gastricae amoventur; sin vero magnae debilitatis signa accesserint, id symptoma summi discriminis existimandum erit.

Neque minus mali ominis sensuum hallucinationes habebas, maxime si saepius iterentur.

In prognosi facienda complicationum quoque ratio ducenda erit. Sic enim praecipue concretio cum incarceratione ob metrorrhagiam tum semper consequentem, quae, statibus spasmodicis perdurantibus, difficillime sistitur, summa commovet pericula.

De Cura.

Ea vel therapeutica vel operativa. Prior, therapeutica tractationem dico, aetatis est vetustissimae, jam a sene Coo in operibus suis (Edit. Kühn T. II. de mulierum morbis L. 1. p. 672) commendata, cujus haec verba sunt. „Si Secundae statim a partu non discesserint, imi ventris dolores in lateris inanitate suboriuntur et rigores ac febres. Quod si secundae exierint, mulier etiam sanescit,“ quibus infra addit „plerumque vero putrescent (secundae), sexto tamen aut septimo die aut etiam posterius exeunt.“ Hanc rationem multi obstetricantes ad novissima usque tempora amplexi remidiis pellentibus, quae apud medicos antiquiores mirabilitate valde excellunt, scopum suum assequi studebant. Memorantur nisus, sternutatio, tussis, flatio in manum, con-

jugis lotium, combustae placentae pulvis, vina fortiora cum cameli urina mixta, et similia complura.

Quam parum medicamenta nec non methodus exspectativa medentium votis satisfacerent, bene intelligentes posterioris temporis scrutatores solam activam methodum sequendam censuerunt. Cujus methodi fundatores in historia Mauriceau et Deventer nominantur; quorum prior in libris (*Traité des maladies des femmes grosses Paris 1721*, Liv. II. Chap. VIII. p. 248) haec ait:

„Aussitôt que l'enfant sera hors de la matrice, avant même que de luy nouér et couper le cordon de l'umbilic, de peur, qu'elle ne vienne à se reformer, il faut sans perdre aucun temps delivrer l'accouchée de cette masse charnué,” posterior talia pronunciat; „funiculo umbilicali iam abscisso sine mora secundinis extrahendis omnis opera impendenda erit“ postea eum in modum pergit: „Si qua alia praesto est foemina, venae umbilicali constringendae et abscindendae idonea, tum obstetrix quam primum infans sinu excepit bene valentem, vena umbilicali nondum constricta vel abscissa ocyus manum utero immittere potest extrahendae secundinæ gratia (operationes chirurgicae novum lumen exhibentes obstetricantibus etc. Cap. XXVIII. p. 125).

Haec quoque sententia multos adeptos assecetas, quorum nominibus toti elenchi impletur. In ea opinione praeconcepta, naturali partus processu omnino praetermissa, foeminas ob yanum et inanem metum actionis operativae discriminibus expositas esse, libri judicij observatio evidenter demonstravit.

Naturalis in partibus decursus contemplatio et experientia praejudiciorum expers, eis ex casibus deducta, in

quibus, natura ipsa ad secundinas retentas removendas non sufficiente, dirissima phaenomena ex sequelis prodire videbant, omnium maxime tamen causarum ratio accurate per pensa obstetricantes, discrepantibus sententiis inter se junctis, ad methodum inde rationalem duxerunt. Ad cujus defensores plerique ex recentioribus obstetricantibus adnumerandi sint.

Summi autem momenti in activae et passiuae methodi dignitate dijudicanda census statistici ea de re prolati ducenti erunt. Sic *Frings* (de dignitate artificialis placentae solutionis Bonn 1830) inter 285511 partus 2170 retentiones secundinarum occurrisse tradit, ex quibus 2121 secundum methodum activam tractatae sunt. Eo in numero 206 mulieres, igitur 1: 10 $\frac{1}{4}$ mortem occubuerunt; ex 49 autem foeminis, ad methodum passivam curatis 31, ergo 1: 1 $\frac{3}{5}$ vita decesserunt. Ex testimonio cl. Blumhardt in terra Wurtenbergensi 1826—1827 inter 56419 partus 600 retentiones fuerunt, 32 naturae commissae sunt et 568 activa methodo tractatae. Ex prioribus 29, ex posterioribus 62 perierunt. Magnis in urbibus, in quibus artis auxilium facilius instituatur, rationes longe cernuntur prosperiores. Stutgardiae inter 53 activo modo curatas duae fato functae sunt, Busch (die geburtshilfl. Klin. an der Königl. Friedr. Wilh. Univers. zu Berlin, Erster Bericht 1837 p. 131) 2056 partus, 88 in casibus placentae retentionem, in 40 incarceratione, in 36 nimia adhaesione placentae et in 42 casibus adynamia provocatam observavit. In 41 casibus dynamica curatio et methodus exspectativa, posterior semel adeo 36 per horas continuata, secundum habuit eventum, in 47 casibus ratio activa in usum vocata. Omnes puerperae, duabus, quae neglectis metrorrhagiis pessum-

datae sunt, exceptis, conservatae fuerunt. *Settegast*, (gem. deutsche Zeitschr. für Geburtsk. Bd. VI. Hft. 1. p. 169) ex 67 casibus, 50 prospero eventu secundum activam methodum tractatas fuisse narrat, 9 foeminas, in quibus eadem instituta erat, cum serius curari coepitae essent, mortem obiisse, ex coeteris 8, in quibus passiva ratio adhibebatur, 7 mortuas esse et unam tantum post tertii mensis abortum sanatam. *Elsaesser* (Schmidts Jahrbücher Bd. VII. Hft. 2. p. 270) ex 250 puerperis apud 14 placentae retentiones inventas refert, quae omnes, activa methodo usurpata, felicem exitum habuere.

Ex hisce relationibus casuum, qui secundum methodum activam prospere tractati fuerint, numerum praevalere videamus; quamvis singulas ex foeminis, operatione curatis, vi naturae medicatrice etiam mortis periculum evitaturas fuisse pariterque nonnullis, quae naturae viribus commissae fuerant, artis auxilio celeriter et opportune praebito vitam non servari potuisse, assumere nobis liceat.

Attamen, ut jus methodi rationalis adhibendae tibi vindices, omnium primum ad momenta causalia, ad status comitantes, retentionis sequelas animo adverso, quatenus methodus passiva in usum vocari possit et quando artis implorari debeat auxilium, exquiras oportet. In qua disquisitione praecipue sensu aetiologicalo uteri dynamismi turbationes therapeutorum remediorum usum exposcere, facile liquet. In his autem maximi phaenomena comitantia momenti sunt, quippe quibus agendi ratio perquam modificeatur. Sanguinis profluvia, quorum summa ratio habeatur, praecipue digna videntur.

Quod ad casus attinet, in quibus methodus therapeutica indicetur

- 1) uteri adynamia appellanda est, quae, cum sine sanguinis profluiis intrat, diutius nos exspectare, medicamentaque pellentia porrigeret sinit.
- 2) uteri dysdynamia, quae, si altiorem assecuta est gradum suo jure eorum remediorum, quibus perversa visceris proliferari actio reguletur, usum expostulat.
- 3) Denique ratio therapeutica iis in casibus suum locum tuetur, ubi, quominus methodum activam adhibeamus, impedimur. In his sunt retentiones, praegressis abortibus quarto vel quinto graviditatis mensibus, quibus cum organon proliferum atque genitalia parum exculta sint, operationis usus vetatur. Nec non neglecti casus nominandi sunt, in quibus, cum sequelae jam ingruerint, uterus sese magnopere contraxerit ideoque operatio peragi nequeat.

Ut primae indicationi, qua uteri adynamia tolli jubetur, satisfacias, ejusmodi remedia in usum vertenda sunt, quibus nervi uterini ad actionem vivaciorem incitentur. Quorum remediorum permagnus est numerus et duo potissimum ordines statui possunt. Eorum prior ea complectitur, quae vim in nervis sexualibus specificam habeant, alter talia, quibus irritatio eorum directa progeneretur.

Ad priorem ordinem omnia referenda sunt medicamenta, quae per os correcta eventum exoptatum, uteri contractions, exhibeant. Est inter ea praecipue *Borax*, quae quidem a plerisque, in primis a cl. Kilian, etiam atque etiam commendata fuit.

Alterum est *Secale cornutum*, quod tamen, cum famae sit ambiguæ, nisi aliqua cum dissidentia non adhibendum erit.

Croceus, Cinnamomum, a cl. Jörg commendatum; Sabina, Radix Aristolochiae eodem pertinet; quae ultima a Vincenzo Calapietro (Schmidts Jahrbücher Bd. VI. Hest I. p. 17.) in casu quodam, quo quarto post partum editum die placenta non excesserat, cum secundo eventu usurpata est.

Ex altero remediorum ordine, quae directum effectum ad uteri contractiones provocandas sibi vindicant, quaeque, quamvis diversa efficacitate, in usum vocata fuerant, afferrantur:

1) **Variae in vaginam, uterum vel in venas umbilicales injectiones.** Ad eas frigida aqua usi sunt, vel aceto diluto ac similibus. Aqua frigida ex mea sententia preferenda, quoniam, certissime contractio-nes suscitans, nisi forte temperatura minuta adhibetur, vix quidquam periculi infert. In metrorrhagiis ea praestantissimum ostendit effectum; (v. Kiwisch. Krankheiten der Wöchnerinnen) quod cum ita sit, in retentio-ibus ex uteri adynamia ortis eundem successum ha-bituram, arbitremur necesse est. *Mojon* Genuae aquam cum aceto mixtam in venas umbilicales injici jussit, quod praeceptum multos nactum est imitatores. *Hohl* aquam oxymuriaticam, *Stanger* aquam cum Kreasoto inspergandam propostrarunt.

2) **Frigus externe applicatum; frigidis fomentis admoven-dis, vel infundendo aethere.**

3) **Inunctiones irritantes in abdomine factae.**

4) **Clysmata exitantia adhibita.**

5) **Variae manipulationes extrinsecus factae, abdominis manu compressio, auctoribus Saxtorph et Stein: magna lintei moles ventri applicata, secundum Wigand.**

6) **Denique Galvanismus horum remediorum seriem claudet.**

Sin vero adynamia ex uteri sitibus turbatis, ut in pre-lapsu, vel in sitibus obliquis, descendit, hi ut amoveantur, primum opus est.

Pariter si nimia vesicae urinariae repletio in causa fuerit, ejus *evacuatio* necessaria habebitur.

Horum remediorum usum quo justo diutius continuari debeba, experientia satis edocuit, qua de causa, simulatque methodus therapeutica, etiamsi nulla phaenomena periculum minitautia urgent, paucis horis transactis, fructum non attulerit, activam agendi rationem iterum iterumque commen-dandam, judicamus.

Secundinis remotis ipso solutionis actu uteri contra-ctiones apparent, quibus, cum omnia sequelarum disrimina prohibeantur, etiam sanguinis profluvia, quae ubique metuenda sunt, certissime cayemus.

In uteri dysdynamia causae ejus occasioales perscrutandae indeque removendae erunt. Quod si fieri nequit, vel si spasmus, quamvis illis sublatis, tamen perdurat, remedia antispasmodica, constitutionis et praedispositionum ratione habita, eligenda esse, ipsa ratio docet.

In aegrotis plethoricis remedia sedativa refrigerantia, aqua laurocerasi, Extr. Hyoscyami, Lactucaria propinuantur. Sanguinis amissiones si nullae sunt, modicae quoque crue-ris detractiones proderunt. Inunctiones mitiores Olei Hyos-cyami cocti cum Opio, remediorum antispasmodicorum in vaginam injectiones aequae praedicantur.

In feminis sensibilibus sedativa magis calefacientia, in primis Opium sub forma tinturae vel pulveris vel clys-matum, deinde Rad. Ipecacuanhae, dosibus refractis, cum Opio juncta, Castoreum, Ammonii praeparata, laudanda sunt. Externe calor sicous, nec non iunctiones sedativae utili-

tatem afferunt. In oris uteri constrictione spasmodica Belladonnae injectio optimum habuit eventum; ita d'Outrepont (neue Zeitschrift für Geburtkunde Bd. III., I. Heft p. 84) per funiculum umbilicalem infusum Belladonnae cum fausto successu inspersit. Verum tamen, quando perversa uteri contractio ex pathologica placentae utero insertione enata est, remediorum, quae supra citavimus, usus diu continuari nequit, sed remotio suscipienda est artificialis. Idem, si sanguinis profluvia admodum effusa erant, valet. Quo in casu solutionis conamina cum summa cautione atque circumspectione instituenda esse, non est, cur moneamus.

In retentionibus post abortus apparentibus, cum abortus maturo gravitatis tempore accidit et propter uteri atque genitalium evolutionem non progressam actus operatius perfici nequit, ratio therapeutica indicata est. Cura hie ad phaenomena intrantia dirigenda erit. In sanguinis jacturis, praesertim vehementioribus obturamentum remedium est praestantissimum, quod quidem, quum non solum mechanice sanguinis effusiones coérceat, verum etiam, in utero contractionibus provocandis, secundinarum egressum acceleret, merito atque optimo jure imperatur. In vagina obturamenti ope claudenda usus lini pexi, quantum ipsa me observatio docuit, ceteris preferendus videtur. In casibus mitioribus Opium, frigidae injectiones praecipiuntur. Retardata placenta, si universales evolutae sunt turbationes, eae secundum artis tractentur oportet.

In protractis secundinarum retardationibus, quae nostrum flagitant auxilium, et in quibus, cum uteri et imprimis oris uteri contractiones maximos fecerint progressus, methodo non frui licet operativa, primum emollientia in vaginam inspergendo, clysmatis sedativis, Extracto Belladonnae uteri

ori intungendo et, si quidem metrorrhae desunt, venae sectione uteri orificium relaxare indeque secundinas removere studeamus. Qua in re, quoniam ichor ex placentae putrescentia ortus interdum corredit, ea adhibenda erit cautela, ut manum auxiliatricem aqua humectes chloriniea. Neque tamen in his, quamvis dubiis casibus, omnem abjiciendam esse spem, is, quem subjungam, casus nos admonet. Tott (neue Zeitschrift für Geburtkde. Bd. II: 71—73.) secundinarum retardationem jam 6 dies continuatam tractavit. Aderat vehementior febris cum horripilationibus, acerrimi dolores et laticis graveolentis ex genitalibus effluxus. Venae sectione instituta, tinctura Opii, tum secale cornutum et aqua oxymuriatica porrecta, antispasmodicae inunctiones in abdomine factae, Extr. Belladonnae uteri orificio applicatum et, eo relaxato, quum placentae maxima pars remota esset, deinde apta medela, cortice china et acidis utendis, sequente, foemina ex mortis faucibus erepta. At, si solutio feliciter non contigerit, maximam nostram morbis pedisequis tribuamus necesse est attentionem, quos cum summa diligentia, sed vix cum ulla sanationis spe tractare decet. Prae ceteris genitalium purificationis, quae sedulo injectionibus mucilaginosis atque aromaticis ablui decet, ratio habenda erit. Commodissime aqua oxymuriatica propter antisепticam, quae inest, indolem additur. Purificatio, quae vix satis crebre iterari potest, gravissima ducenda, quia sanies ex utero stillans facile, partibus internis corrosis, vehementes genitalium affectiones producere potest. Simul explorationem internam, qua de uteri statu tibi persuadeas, non negligendum et, si forte in uteri ore placenta reperitur vel uteri orificium relaxatum est, remotionem tentandam esse censeo. Sin autem in utero sensationes, placentae expulsionem in-

dicentes, existunt, mitiora pellentia, praesertim boracem, in usum conferre licet. Contra comitantes universales morbi processus ad artis praecepta agendum est, quae tractatio qualis sit, hujus loci non est, diligentius exposuisse. Id modo, doctrinam hic in universum vacillare, neque ullam nobis arridere salutis spem, candide et aperte confiteamur.

Ipsam operationem si spectamus, omnium primum, quibus in casibus ea indicetur, afferendum esse arbitror. In quibus rebus perserutandis organica placentae vitia, e quibus retentiones proficiscuntur, tum vero status easdem comitantes, ea cernuntur momenta esse, in quibus operatione aegrotis subveniendum sit.

Sunt igitur :

- 1) placentae cum utero concretiones
- 2) ejus hypertrophiae
- 3) sanguinis effusiones afferendae, quae omnes, ut arte placenta amoveatur, postulant.

Quamvis eas concretiones, quas ex connexu physiologico perdurante deduximus, ipsius naturae vi solvi ideoque hoc modo arte non invocata secundinas expelli posse, nobis persuasum sit, tamen ejus conjunctionis gradum non satis perpendere licere, indeque vel his in casibus neglectionem maxima provocaturam esse discrimina, ingenue fateamur oportet.

Itaque ut in his etiam levioribus connexus casibus, si expulsio non mox consequatur, artis auxilium expectatur, suadendum est, quod si cautius atque brevi post partum tempore feratur, nequaquam pro actu nimis insultante habendum est.

Sin vero adhesiones pathologici fuerint generis, operatio haud dubie adhibenda erit, ut omnis mora castiganda

videatur. Quam ob rem disertissimis verbis nostram affirmamus sententiam, qua, si ex anamnesi et signis retentio nem indicantibus de ejusmodi arcto connexu nobis persuaserimus, statim post infantem emissum artificiale remotio nem aggrediendam esse, existimamus. Hac in re omnis temporis jactura multum damni importat, quod, si activae methodi dignitas recte atque sine praejudiciis perpendatur, facile evitari queat.

Ad sanguinis profluxus si animum advertimus, quamdiu secundinae in uteri cavitate morantur, spem non esse fore ut eos in perpetuum sedemus, ex prohibitis uteri contractionibus non difficile est perspicere. Igitur, si illi impi tuosi pericula minantur, in omnibus retentionis casibus artificialis secundinarum remotio indicata est. Hic ne incarcerationes quidem, nisi forte tantae sunt, ut stricturæ obstaculum manum nisi summis mulieris periculis, sicuti uteri rupturis etc., penetrare non sinat, pro exceptionibus ponendae sunt. Quin etiam in anaemia phaenomenis operationem suscipi posse, ipsa mihi affirmavit experientia.

Vetatur autem operatio, si adsunt

- 1) inflammatorii uteri processus, quos quidem, si existant, actu operativo aductos, perniciem afferre posse, manifestum est, quo circu, medela therapeutica praemissa, solutio suscipiatur.
- 2) Progressus involutionis uteri processus, vel ejus evolutione manca.
- 3) magna genitalium totiusque organismi sensibilitas, que

si exstiterit, ante methodo sedativa, quam operationem moliaris, impugnanda erit.

Priusquam vero operationis initium fiat, in primis, quae placentae sedes sit, diligentius explorandum videtur, nam etiamsi non desunt obstetricantes, a quibus semper et ubique, ut sinistra manu utamur, suadeatur, tamen ex illa maxime exploratione, ultra manu operatio patretur, dependet. At, ubicunque, utram manum malimus, nihil refert, uti in placentae ad uteri anteriorem vel posteriorem parietem in sessione, ibi sinistra, ut quae vulgo minor sit, praferenda erit. Contra si sedes in faciebus uteri lateralibus est, ea manu utamur oportet, cujus vola placentae respondeat; quam ob causam dextra manus in placenta dextrorum locata et vice versa adhibebitur. Id potissimum valet, ubi, ne placentia arctius adhaereat, timendum est, quum, ea cautela omissa, manus, situ parum commodo occupato, facile fatigari vel uterum laedere queat.

Praeter haec mulieris positio respicienda. In casibus levioribus quidem foemina in suo lectulo, regione sacrali elevata, jacere potest, verum, ubi operatio difficilior instascuti in arcta concretione, ibi, suadente Kilian, positio in cubili transverso praeponenda, quippe qua manui operanti plus spatii aperiatur. In uteri sitibus obliquis positio lateralis respondens indicata est.

Deinde analepticorum cura gerenda erit, quae operationis tempore, praesertim si diutius duraverit, interdum necessaria habentur. Ad ea porrigenda idoneo adjutore opus est, ne forte operationem iuterrumpere cogamur.

Denique vesica urinaria et rectum antea evacuanda, quare operationi multum levaminis affertur.

Operatio ipsa optime ope manus peragitur, qua de causa, quae saepius commendata fuerunt, instrumenta ad secundinas auferendas in universum rejicienda sunt. Tantum ubi placentae reliquiae inveniuntur vel ea, praegressis abortibus, retenta est, istorum aliquis potest esse usus. Verum in his etiam casibus, nisi summa cautione, usurpanda non sunt, cum sine manu tutante in uteri cavitatem immissa facile, laesionibus efficiendis, nocere possint. Ejus generis instrumenta Levret, Starck, F. B. Osiander, et Carus commendarunt.

Operationis tres sunt actus

- 1) manus introductio
- 2) secundinarum solutio et
- 3) earum extractio.

Plerisque in casibus tres illi actus perpetrandi sunt. In singulis autem, ubi operatio peragenda est, secundus actus supervacaneus cernitur, quoniam, solutione uteri contractionibus jam absoluta, sola remanet placentae extractio. Qua in re operationem mirum in modum levari, vix est, quod memoremus.

Actus primus.

Manus, conice conformata, oleis bene inuncta, pariter atque in versione rotationibus mitioribus per vaginam in uteri cavitatem inducenda est, postquam manu libera funiculum umbilicale comprehendens attraxeris. Hic postremus manui operanti pro duce est, usque dum ad insertionis locum pervenias. Quo facto, funiculum umbilicale remittas et ad uterus extrinsecus figendum transgrediare. Attamen ubi funiculus rudi manu vel alio quoquo modo abruptus est, ibi statim ad uterus, cuius fundum amplexari

debes, sustentandum transeas. Sic primo actui finis imponitur.

Actus secundus.

Is placentae solutionem propositam habet. Haec semper a superiori placentae margine incipiat, dum manus introductae digiti inter secundinarum externam et uteri internam faciem penetrare student. Quia in re in digitorum progressu ea observabitur cautio, ut uterus quam minimum irritetur, sed digitorum apices magis placentam versus dirigantur. Partem placentae solutam in vola ponas. Si quo loco secundas jam ab utero remotas invenieris, tum inde solutionem incepisse juvabit, quam etiam ex inferiore margine inchoare licet. Idem respiciendum est, si quando, quum placentae sedes nos frustrata sit, facies ejus interior volae non respondet; quare quum manus circumversa situm perquam incommodum obtineat, nisi ex parte inferiore solutionis initium institueris, facile, ut alteram immittas, necessarium evadit. — Praeterea solutionem semper doloribus cessantibus peragi, manumque, dum isti durant, quiete oportet. Dolores si nulli sunt, ea cautela suadenda, ut, etiam operatione diutius durante, aliquid requietis foeminae praebitur, manum paulisper immotam teneas. In hoc operationis actu manus uteri fundo applicata maximi est momenti, utpote quae, figendo utero, ne ullo modo tendatur vel vertatur, impedit, solutionemque apta pressione mitique manipulatione valde adjuvet; unde, utramque manum alteram alteri auxilio esse, vides. James Hamilton eiusque progressus est, ut totum solutionis processum, manipulatione hemiarum taxi simillima absolvere vellet, quae ratio tamen, quia major uteri irritatio vitare nequit, in levioribus albo casibus, quam admitemur, vix digna est.

Actus tertius.

Iis in secundis auferendis consistit. Solutione eo, quo diximus, modo confecta, placentam convolutam manu amplexus digitorum apicibus praeter manum per uteri officium trudas, quo momento altera manus funiculum umbilicalem prehensum leniter attrahat. Inde manus in utero versans caute ejus indolem examinet, num omnia ablata sint, sibi persuras. Iis in casibus, ubi, vehementioribus sanguinis profluiis intrantibus, uteri contractiones defecerunt, manum adeo paulisper in utero jacere atque, usque dum ille contrahi coepit, internos parietes cautius suscitare licet. Denique is actus eo finitur, ut manum cum placentâ soluta educas, ubi, ut ovi velamenta simul removeas, vindendum est.

Etsi ratio commemorata in universum usus probetur, singulorum tamen statum non praetermittenda est mentio.

1. In prolapsu et uteri inversione solutio, priusquam visceris proliferi repositio praemissa sit, suscipi non debet, quae cautio, quoniam, ea non adhibita, periculosisimae sanguinis profusiones et perversae uteri contractiones gigni queunt, omitti nullo modo potest.

2. Primo in actu incarcerated multum difficultatum objicit. Hie, cum summa circumspectione opus sit, demum, spasmo paululum remittente, operatio suscipi debet. Jam si ad locum coactatum progressus eris, duplex ineunda est ratio, sive completa seu incompleta est incarcerated. Prior quum adest, plerumque, si duobus digitis per locum angustatum ingressus placentam extraxeris, sufficiet. Cum altera vero si agendum est insacatione, paulatim et sensim manum per annulum spasmodicum ducere studeas, alium digitum post alium, excepto pollice, in eavum posti-

cum immittere conatus, deinde solutam placentam prehendens et extrahens, vel adhaerentem primum solvens.

3. In placenta concretionibus solutio ne festinetur, sed potius cum summa cura atque cautione ob insultationem nimiam timendam, peragatur. Singula loca si tantopere concreverunt, ut solutio non contingat, id consilium, quo pars adnata enucleari et in suo cum utero connexu manere jubetur, nequaquam rejiciendum est; quia istam partem vel resorberi vel lochiis removeri novimus. Idem de cartilaginosis vel ossificatis placentae locis dictum volo. Si quae tendinosae vel filamentosae conjunctiones adsunt, *Kilian* commodissime, ut talia filaments inter indicem et medium digitum comprehensa subito alterius super alterum motu revellantur, suadet.

4. Ovi velamenta praeter normam adhaerentia, si quidem totum vestiunt uterum, ne perfore, cavendum est; namque illis in manum missis, ad solvendam deinde placentam aggredi decet. In ovi velamentis si quo loco tensionem observaveris, cautissime eorum remotionem instituere licet, quae tamen si parum feliciter successerit, sine ullo damno cetera relinques.

5. Si, operatio dum peragitur, lypothymiae vel convulsiones intraverint, id quod in subjectis sensibilibus facile accidere potest, manui quiete data, remedia respondentia praebetas. Id ipsum monendum est, si operationis tempore stricturae in utero sese formaverint. In quibus feminis manum, priusquam inducatur, unguento opiatu illinas.

6. Graviora sanguinis profluvia si apparuerint operationem, quantum quidem sine discriminâ licet, acceleres. Contractiones, ex actu solutionis proditurae, facilime tum istos sedabunt profluxus.

7. Explorationem, remotione placentae peracta, uteri externam maximi esse momenti, necesse est, admoneamus, cum saepissime inversiones seu uteri situs alienationes locum habere queant.

8. Peracta operatione, cum maxima semper cura puerperium observans, status, qui forte secuti erunt, pro suo quemque charactere et indole tractabis.

Primum est quod spernitur ut deinde dicitur
etiam in libro de medicina et de rebus medicis.

Secundum est quod dicitur ut deinde dicitur

in libro de medicina.

THESES.

Vnde deinde dicitur ut deinde dicitur
in libro de medicina.

1. In metrorrhagiis post partum sistendis injectiones aquae frigidae praestantissimum esse remedium affirmo.
 2. Inter tuberculosin et scrophulosin nullum extare discrimen arbitror.
 3. In ophthalmiis scrophulosis tractandis medicamina externa rejicienda esse censeo.
 4. Hermaphroditos humanos nego.
 5. Dilatationem oris uteri incruentam ex arte obstetricia omnino ejiciendam esse reor.
 6. Albumen in lotio sine renum laesione existere posse judico.
-